

nōn minus vivendi genere, quam canendi suavitate praedulcis  
 immortalē Deo sui fuisse meriti cantilenam. Quod his viris  
 principalium virtutum officium defuit? Quarum primo loco  
 constituerunt prudentiam, quae in veri investigatione versatur,  
 et scientiae plenioris infundit cupiditatem: secundo justitiam,  
 quae suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem  
 propriam negligit, ut communem aequitatem custodiat: tertio  
 fortitudinem, quae et in rebus bellicis excelsi animi magni-  
 tudine, et domi eminent, corporisque praestat viribus: quarto  
 temperantiam, quae modum ordinemque servat omnium,  
 quae vel agenda vel dicenda arbitramur.

QUOD VIRTUTES QUATUOR PRINCIPALES, IN PATRIBUS NOSTRIS NON  
 MEDIOCRITER SINT CONSUMMATAE.

Haec forsitan aliquis dicat primo loco poni oportuisse,  
 quoniam ab his quatuor virtutibus nascuntur officiorum genera.  
 Sed hoc artis est, ut primo officium definiatur, postea certa  
 in genera dividatur. Nos autem artem fugimus, exempla  
 majorum proponimus: quae neque obscuritatem afferunt ad  
 intelligendum, neque ad tractandum versutias. Sit igitur  
 nobis vita majorum disciplinae speculum, non calliditatis  
 commentarium: imitandi reverentia, non disputandi astutia.  
 Fuit igitur in sancto Abraham primo loco prudentia, de quo  
 dicit Scriptura: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi  
 ad justitiam.<sup>1)</sup> Nemo enim prudens, qui Deum nescit. Deni-  
 que insipiens dixit: Quia non est Deus.<sup>2)</sup> Nam sapiens non  
 diceret. Quomodo enim sapiens, qui non requirit auctorem  
 suum, qui dicit lapidi: Pater meus es tu:<sup>3)</sup> qui dicit diabolo,  
 ut Manichaeus: auctor meus, es tu? Quomodo sapiens Arrius,  
 qui mavult imperfectum auctorem habere atque degenerem,  
 quam verum atque perfectum? Quomodo sapiens Marcion  
 atque Eunomius, qui malunt Deum malum, quam bonum

1) Gen. 15. 2) Ps. 13. 3) Jer. 11.